

#2

DISSERTATIO
PHILOSOPHICA INAUGURALIS,
DE
MORALITATIS FUNDAMENTO,
ET NATURA VIRTUTIS.

Q U A M,
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS, HUJUSQUE
THEOR. ET PRACTICÆ PROFESSORIS:
NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Subtilissimae FACULTATIS PHILOSOPHICAE Decreto,
PRO LIBERALIUM ARTIUM MAGI-
STERIO, ET IN PHILOSOPHIA
GRADU DOCTORATUS,

Summisque Honoribus & Privilegiis ac Prævoga-
tivis, rite ac legitime consequendis,

Publico Eruditorum Examini submittit
ALEXANDER COMRIE, Scotus.
Ad diem 5 Octobris 1734. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM KALLEWIER,
M D C C XXXIV.

VIRO NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO

D. ARNOLDO DE STERKE,
DOMINO ET TOPARCHÆ IN ESSELICKER
WOUDE ET HEER JACOBS WOUDE.

VIRO PL. VENERANDO.

D. ANTONIO TARRE,
ECCLESIAE WOURDANÆ PASTORI FIDELIS-
SIMO FACUNDISSIMO,

STUDIORUM SUORUM FAUTORIBUS, PAREN-
TUM LOCO NUNQUAM NON SUMMO HO-
NORE COLENDIS.

*CELEBERRIMO CONSULTISSIMO
ET ACUTISSIMO VIRO,*

**D. GUILSELMO JACOBO
's GRAVESANDE,**
A. L. M. PHIL. ET J. U. DOCT. REGIÆ SO-
CIETATIS LOND. SOCIO, ASTRONOMIÆ, MA-
THESEOS ET PHILOSOPHIÆ IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORI ORDINARIO, PRÆCEPTO-
RI ET PROMOTORI SUO OPTIMO.

N E C N O N
VIRIS CLARISSIMIS IN ORBE ERUDITO NOMEN
INSIGNE ADEPTIS, STUDIORUM SUORUM FUN-
DATORIBUS SOLIDISSIMIS AC PROPTER MUL-
TITUDINEM BENEFICIORUM IN SE COL-
LATORUM AD ROGUM USQUE CO-
LENDIS.

D. JOHANNI WESSELIO,
S. S. TH. DOCTORI EJUSDEMQUE FACULTATIS
IN ILLUSTRI ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORI ORDINARIO ET ECCLESIAE REFORM.
IBIDEM VERBI DIVIN INTERPRETI FIDELIS-
SIMO FACUNDISSIMO.

D. TAC. HAJ. VAN DEN HONERT,
S. S. TH. DOCT. EJUSDEMQUE FACULTATIS
NEC NON ANTIQ. JUD. PROFESSORI ORDINARIO.

D. PETRO BURMANNO,
I. U. DOCT. ELOQUENTIE ET HISTORIARUM
PROFESSORI ORDINARIO ET BIBLIOTHECAE
PRÆFECTO.

D. ALBERTO SCHULTENS,
S. S. TH. DOCT. LINGUARUM ORIENTALIUM
IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORI ORDINA-
RIO PERILLISTR. AC PRÆPOTENTIUM D.
D. HOLLANDIÆ ET WEST: FRIS: ORDINUM
COLLEGII THEOLOGICI REGENTI.

D. ANTONIO DRIESSEN,
S. S. TH. DOCT. EJUSDEMQUE IN INCLYTA
GRONINGO-OMLANDICA ACADEMIA PROFES-
SORI ORDINARIO ET CONCONATORI ACA-
DEMICO.

D. COR-

D. CORNELIO A VELSEN;
S. S. THEOL. DOCTORI HUJUSQUE FACUL-
TATIS IN EADEM ACADEMICA PROFESSORI
ORDINARIO.

D. JOHANNI BARBEYRACIO,
J. U. D. ET PUBLICI PRIVATIQUE JURIS AN-
TECESSORI IN ACADEMIA GRONINGO-OM-
LAND: REGIÆQUE SOCIETATIS BEROLIN.
SOCIO.

D. MICHAELI ROSSALLIO,
A. L. M. PHIL. DOCT. LINGUÆ GR. ARTIUM
L. L. PHILOSOPHIÆ SPECIATIMQUE LOGICÆ
PROFESSORI ORDINARIO ET BIBLIOTHECÆ
GRONINGANE PRÆFECTO FIDELISSIMO.

D. NICOLAO TILBURGIO,
A. L. M. ET PHILOSOPH. DOCT. EJUSDEMQUE
FACULTATIS IN EADEM ACADEMIA PROFES-
SORI ORDINARIO, ET IN ECCLESIA GRONIN-
GANA SENIORI DIGNISSIMO.

*Hanc Dissertationem sacram
facit.*

ALEXANDER COMRIE.

D. CORNELIO A VELZI

ET C. G. T. H. M. T. H. M. T. H. M.

C. S. A. T. H. M. T. H. M. T. H. M.

C. S. A. T. H. M. T. H. M. T. H. M.


C. S. A. T. H. M. T. H. M. T. H. M.

C. S. A. T. H. M. T. H. M. T. H. M.

C. S. A. T. H. M. T. H. M. T. H. M.

B. L.

Nobilissimæ hujus materiæ capita tantum
attigi, uberiorem hujus quæstionis discus-
sionem dein traditurus, si hæcce placeant,
& Deus vires & otium concedat.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS,
DE
MORALITATIS FUNDAMENTO,
ET NATURA VIRTUTIS.

C A P U T P R I M U M.

De Moralitatis Fundamento.

S E C T. I.

§. I.

Moralem Disciplinam aliis omnibus esse anteposendam, facile ab iis concedetur, qui considerant, hanc solam ad felicitatem pandere viam, hominisque actiones erga objecta moralia rite dirigere, & itemque hanc mentem a variis morbis liberare, & denique homini cum Deo qualemcunque conciliare similitudinem. Hinc in laudem hujus disciplinæ, quæ aliis rebus laudem, decus, gloriam, & pulchritudinem conciliat, sed ab aliis

A

liis

2 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

liis nullas laudes accipit, tot extant elogia. CICERO enim statuebat, *virtute nihil pulchrius, nec amabilius nihil*, pag. m. 913. & alibi ex PLATONIS PHAEDRO docet, *virtutem tam amabilem & formosam habere naturam, ut si oculis cerneretur mirabiles amores excitaret sui*. STOBÆUS Serm. 8. eandem ob causam illius Philosophi orationem, quæ affectum nullum in homine curat, *judicavit inanem*. Philosophorum denique oraculo Apollinis sapientissimus Socrates abunde, se suisque, ac Philosophi partibus esse defunctum, existimabat, si homines ad virtutis cognitionem deduxisset. Nos quoque Socratis exemplo insistentes, ad Virtutis cognitionem unumquemque perducere conabimur: non amplis verborum ampullis Rhetorumque lenociniis; sed vi & efficacia veritatis.

§. II. Vir certè judicii acerimi & ingenii summi M. TUL. CICERO, cum de legibus esset acturus, *judicavit fontes legum esse inquirendos*, ut res rectè planeque cognosceretur atque expōni clare, certòque posset. Nos etiam de Virtute morali acturi, *necessitate fore* *judicavimus*, hocce Capite ostendere verum esse discrimen inter bona & mala, virtutem & vitium, non quidem a Prætoris Edicto, vel a XII. Tabb. nec ab Entis alicujus arbitrio petendum; sed in æternis veritatis quærendum. Hocque eo magis factu necessarium erit, quia nulla ætate defuerunt, qui esse aliquid bonum & malum naturaliter, negaverunt, contraque omnia, quæ ita vocantur legibus & institutis hominum, vel supremi Numinis voluntate, unicè talia esse decreverunt.

§. III. PLATO Lib. X. *de Legibus* quorundam meminit, qui constituerunt *justa natura nulla esse*, *verum homines inter se, & nova quotidie constituere*, & quæ postremo statuerunt *catenus justa esse*, *quatenus illis sic esse placuit*, non natura quidem, sed arte & Legibus stabilita. In Theætet. 127. idem narrat fuisse, qui *justa & injusta, sancta & profana suapte natura essentiam habere aliquam negaverunt*. Modo laudatus Autor rem hanc extra dubitationis aleam ponit in Gorgia p. 336. dum duos introducit Sophistas, quorum unus CALLICLES non veretur SOCRATEM impudentissim

simè hisce alloqui verbis: *Veritas, O SOCRATES, ita se habet luxuria, intemperantia, Libertas, modofacultas suppeditat, virtus est atque felicitas. Cetera vero isthæc speciosa præter naturam adinventa, hominum dilitamenta sunt, & nuga penitus contemnenda.*

§. IV. ARISTOTELES hujus etiam opinionis mentionem fecit in *Ethica Lib. 1. Cap. 3. de iis rebus*, inquit, *que bona, justæque sunt, quas civilis scientia considerat, tanta est diffensio, tantæque in iis versatur eratio, ut lege tantummodo, non natura constare videantur.* - Idem *Lib. 5. Cap. 10.* dicit, *existimant nonnulli jura omnia esse hujusmodi; quemam id quod constat natura immobile atque immutabile est, & ubique eandem habet vim; quemadmodum ignis hic & apud Persas urit. Jura autem quotidie vident immutari.*

§. V. DEMOCRITUM in eadem fuisse sententia colligi posse videtur ex DIOG. LAERT. *Lib. 9. Seg. 45.* Ille enim tradit, Democritum dixisse, *atomos & inane esse principia omnium, cetera vero opinandi incertitudine nisi.* Si utique Democrito omnia fuerunt, præter hæcce duo, incerta, de virtute in natura fundata haud magnificè sentire potuit. DE PYRRHO-NE ELIENSI meliora cogitare idem DIOG. LAER. *Lib. IX. Seg. 61.* nos vetat, dum nempe tradit cum statuisse, *nihil comprehendendi posse, nihilquo justum vel injustum, honestum & turpe esse: nec aliter sese reliqua habere, nihil enim vere esse, rerum homines lege ac consuetudine omnia facere.*

§. VI. Ad CARNEADEM vero quod attinet notum est Illustrissimum GROTIUM in *Proleg. ad Lib. de Jure Belli ac Pacis*, hunc hujus opinionis advocatum constituisse; sed an recte nec ne, non est, quod ego disquiram. Lector potest cum fructu LACTANTIUM *Lib. 5. Div. Instit. Cap. 16. p. m. 595.* & *Historiam*, quam BUDÆUS Cl. VITRIARII *Institutionibus addidit*, consulere. Hoc saltem confat, CARNEADEM in elegantissima oratione sua, qua suscepit justitiae oppugnationem, omnes suæ eloquentiae vires intendisse ad ostendendum, jus naturale esse nullum: sed omnes homines & alias animantes, ad suas utilitates natura

4 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ducente ferri, proindeque aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam.

§. VII. Reliquos nunc prætereo, ne nimis prolixus in ipso limine evadam. Hoc solummodo observans, non defuisse antecedenti seculo, & nostræ ætati, qui idem statuisse non veriti sunt, ut ex uno HOBESIO constat. Ille enim in Lib. de Civ. p. 343. diserte dicit, *doctrinas de justo & injusto, bono & malo præter leges in unaquaque Civitate constitutas, authenticas esse nullas, & utrum aliqua actio sit justa vel injusta, a nemine inquirendum esse præterquam ab iis, quibus legum suarum interpretationem Civitas demandaverat.* Et adhuc in Leviathan p. 63. suam sententiam clarius proponit, dicens, *in statu naturali nihil esse potest injustum, neque notiones æqui & iniqui, justi & injusti, in eo ullum habent locum, ubi communis & publica potestas non est, ibi nulla lex est; lex vero ubi nulla est, ibi nec transgressio esse potest; imo inquit voluptas eo sensu, quo reprehendi solet, ante legem minime vitiosa fuit.*

§. VIII. RENATI CARTESII nomen silere, nefas esset, quum Celeberrimus hicce Philosophus negat, bonum & malum, virtutem & vitium esse fundata in natura; sed unicè a Dei voluntate dependere: operæ pretium certè erit, verba ipsius quamvis prolixa hic annotare, quia ipsius Discipuli, tum Philosophi, &c, quod mirum, non pauci Theologi, Magistri auctoritate inducti, idem statuerunt contra communem & Philosophorum & Theologorum sententiam. Sed audiendus est Cartesius, qui Resp. 6. Scđ. 6 sic differit: *repugnat, Dei voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia, quæ facta sunt, aut unquam sunt; quia nullum verum vel bonum, vel faciendum vel omissendum fingi potest, cuius idea in intellectu Divino prius fuerit, quam voluntas se determinaverit ad efficiendum, ut id tale esset. Neque hic loquor de prioritate temporis, sed ne quidem prius fuit ordine, vel natura, vel ratione ratiocinata, ut vocant; ita scilicet, ut ista boni idea impulerit Deum ad unum potius, quam aliud eligendum. Nempe exempli causa, non ideo voluit mundum creare in tempore, quia vidit, sic melius fore quam si creasset ab æterno: neç voluit tres angulos trianguli esse æquales duobus rectis,*

INAUGURALIS.

5

rettis, quia cognovit aliter fieri non potuisse. Sed contra, quia voluit mundum creare in tempore, ideo sic melius est, quam si creasset ab eterno; & quia voluit tres angulos trianguli necessario aequales esse duobus rectis, idcirco hoc verum est, & aliter fieri non potest, atque ita de reliquis; & sic summa indifferentia in Deo summum est ejus omnipotentiae argumentum. Interjectis nonnullis, ita rursus hac de re philosophatus est. Attendenti ad Dci immensitatem manifestum est, nihil omnino esse posse, quod ab ipso non pendeat non modo nihil subsistens, sed ETIAM NULLUM ORDINEM, NULLAM LEGEM, NULLAM VERTICEM, NULLAM VERTICEM RATIONEM VERI ET BONI. Hic cum quis rogaret, numquid Deus potuisset efficere, ut natura trianguli non fuerit? & qua ratione potuisset ab eterno constitui, ut non fuisset verum, bis quatuor esse octo? Ingenui quidem confitetur, id a nobis intelligi non posse, interim tamen nos non debere dubitare, quin hoc fieri potuerit, eo quod nihil sit in nullo genere entis, quod a Deo non pendeat. Num vero CARTESIUS hic usus sit stratagemate Philosophico, uti ILLUSTRIS LEIBNITIUS in Theodicea p. 227. & Cl. CLERICUS in Ontologia p. 307. non est quod ego determinem.

SECT. II.

§. I. Quemadmodum LACTANTIUS Lib. 3. Div. Instit. Cap. 23. olim interrogabat, quid enim dici potest de illo, qui nigram esse dixit nivem? sic nos illorum insaniam obstupefcentes, qui tradunt bona nulla natura esse, sed legibus & institutis hominum unice esse talia, debemus cum eodem Lib. 5. Div. Instit. Cap. 3. exelamare O cæca pectora! O montes Cimmerii! (ut ajunt) tenebris atriores! nam hoc statuere, est in rationis dictamina impingere, & communis hominum experientiae obloqui; qua satis edocti sumus omnes, nonnullas actiones esse ex sua natura determinatas ad effecta bona vel mala, verbi causa, illæ actiones, quibus vita, bona, nomen, tranquillitas tum aliorum, tum nostra conservatur; certè ex sua natura sunt essentialiter ab oppositis distinctæ, antecedenter a legibus & hominum institutionis. Utique nemo nostrum tam insanus erit, ut non agnoscat

6 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

scat actionem, qua & vita sua & bonum publicum conservetur promoveaturque, non differre ab illa, qua tollitur vita; & quæ ad ruinam humani generis tendat. Præterea an non sunt actiones quædam, quæ impietatem erga summum Numen ex sua natura exprimant, aliæ vero quæ ipsius amorem & cultum ex animo sincero ostendant? Et ut uno verbo finiam, si actiones a semet invicem ex sua natura non essent distinctæ, nemo posset rationem indicare, quare Deus suum cultum potius, quam sui odium mandaverit; imo si actiones ex sua natura essent indifferentes, quare quixso has mandaverunt, alias prohibuerunt puniveruntque Legislatores Humani? Certè hæc unica est causa; quia viderunt has ad Societatis & Generis Humanæ communem salutem; alias vero in oppositum ex sua natura tendere. Maneat ergo discrimen esse inter bonum & malum, non a legibus & institutis hominum petendum; sed in natura quærendum, quicquid Hattemistæ veteres & recentiores obloquuntur.

§. II. CARTESIUS quidem agnoscit discrimen inter bonum & malum a legibus & institutis hominum non dependere, sed unicè in Deo quærendum esse: Hactenus quidem bene; sed cum hæcce omnia a libertimo Dei arbitrio facit dependere; certè nihil clarus est, quam ex hac doctrina sequi, Deum priusquam ad condendum mundum se convertisset, nihil in virtute melius, quam in vitio vidisse, nec ideas ei suas ostendisse, quod virtus esset vitio amore dignior. Hoc vero inter jus naturale & positivum discrimen omne tollat, nihil jam in disciplina morali immutabile atque indispensabile crit. Et æque Deo possibile fuerit, vitium imperare, ac virtutem, nec securi satis esse poterimus, leges morales non abrogandas aliquando, uti ceremoniales Judæorum leges abrogatae sunt; hæc & alia absurdâ utique legitima conclusione ex CARTESIIL principiis sequi nemo non videt. Interim omnia non ita a voluntate dependere directè sequenti modo probatur.

§. III. Existens Dei utique non est Divinæ voluntatis effectus, non ideo existit Deus, quia vult existere (ipso fatente Cartesio secundum ipsius ratiocinationem pro existentia Dei ex idea a priori petitam) sed necessitate naturæ sue infinitæ existit,

eadem necessitate existunt ejus potentia scientiaque , nec potest , nec seit omnia ; quia posse & scire vult ; sed quia haec sunt attributa cum ipso identificata . Voluntatis imperium non nisi potentiae exercitium respicit , extra se nihil actu producit , nisi quod vult : cæteris omnibus in pura possibiliitate relictis . Inde fit hoc imperium , non nisi ad creaturarum existentiam sese extendere , non vero etiam ad earum essentias : potuit Deus materiam , hominem , circulum vel creare , vel in nihilo relinquere : sed quia haec res ex Dei ideis , quæ immediatè profluunt , & emanant ex Dei intellectu , imo ipsi naturales sunt , oriuntur , hasce non potuit creare , quin illis secundum suas æternas ideas debuerit impertire suas essentiales proprietates : ubi hominem , id est , animal rationale ; circulum , id est , figuram planam circumferentia a centro æquidistantem producere voluit , non potuit non secundum suas ideas æternas & a liberæ voluntatis decretis independentes , attributa ipsis essentialia , veluti homini sciendi facultatem , ita circulo maximam pro ambitu capacitem dare .

§. IV. Ex hoc enim est , quod cogimur quasi vi & veritatis evidenter statuere , essentias rerum esse æternas & dari propositiones æternæ veritatis ; adeoque rerum essentias primorumque principiorum veritatem esse prorsus immutabiles . Quod de principiis primis non Theoreticis modo ; sed etiam Practicis , deque propositionibus omnibus ex veris creaturarum Ideis profluentibus intelligendum est . Haec essentiae , haec veritates ex Dei natura emanant eadem necessitate , qua Dei Scientia ; sicut ergo Deus a natura rei existit , est omnipotens , omniscius , ita pariter e rerum natura materia , triangulus , homo , cæteræque actiones humanæ , sua certa attributa habent essentialiter . Deus quidem ab æterno videt rationes essentiales (non tanquam aliquid a se diversum , sed quatenus sunt ipsius perceptiones) numerorum & identitatem attributi subjectique propositionum rei cuiuslibet essentiam continentium , similiter justi notionem , hinc notionibus inclusam , aestimare , quod aestimabile est , gratum animu[m] praestare beneficii in se collati auctori , implere pacta , & sic de quamplurimis aliis propositionibus . Jure ergo & contra illos , nullum bonum vel malum in natura fundatum ,
ftm

8 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

statuentes; sed a legibus & institutis hominum omnia dependere, & contra Cartesianos, dicimus, legis naturalis præcepta, rei quæ præcipitur æquitatem & honestatem, esse derivandam ex æternis veritatibus, hominemque ad hæc implenda teneri, etiamsi Deus pro arbitrio nihil de iis statuisset.

§. V. Certè uti in Theoreticis assensum nostrum alicui veritati præbemus, ob nexus attributorum cum subjecto ex notione assignabili, vel propter eorum, quæ de re aliqua dicuntur, convenientiam cum ipsa re; sic & hic alicui Morali propositioni assentimur ex istius decentia, vel ob istius cum nostris de æquo & honesto Ideis convenientiam. Et certè in hisce, si extra partes & sine præjudiciis sumus, non possimus non assentiri. Quis unquam vidit hominem aliorum enormia scelera approbantem? Quis unquam Neronis crudelitatem legit sine horrore? Hoc sane aliunde proficii nequit, quam quod virtutem, velimus, nolimus, ex nostris de æquo & honesto ideis approbare cogamur.

§. VI. Interim discribenet hoc, forte inter THEORETICA ET PRACTICA PRINCIPIA intercedit, quod nempe, quia Deus videt in practicis rem esse magni momenti, dedit unicuique in se facultatem accusantem, & mala quæque minantem; si se actionesque suas ad normam veritatis nolit componere. Ex quibus omnibus concludimus, illas veritates per se nos obligare: interim quia certi sumus, Deum hæcce velle approbare ob eorum decentiam, etiam facile possumus colligere, summi Numinis voluntatem esse, ut vitam piè, modestè, justèque instituamus.

§. VII. Quum hæcce omnia tam liquida sint, certè non potuimus satis mirari, quomodo MAGNUS THOMASIUS Lib. I. Cap. I. Sect. 31. p. 7. a se impetraverit, ut doctrinam hanc appellaverit figmentum Scholasticorum; & in DISSESTITATIONE PROOEMIALI gloriatus sit, se esse ab hisce figuramentis liberatum. Tales certe gloriationes nullis solidis argumentis subnixæ juré eodem rejiciuntur, quam proferuntur. Alii ex hujus sententiæ ignoratione dicunt sequi, Deum non esse independentem; quod vel cogitare, semper judicavimus impium.

Sed

INAUGURALIS.

3

Sed profecto nihil aliud sequitur ex nostra doctrina, nisi hoc, quod præter voluntatem sit in Deo intellectus, vel sciendi facultas, ex qua necessario emanant & profluunt omnium rerum possibilium ideæ, quæ voluntatem illustrant, & per quas voluntas secundum sui perfectionem ad optimum semper determinatur.

§. VIII. *Mysticorum Hyperaspistes* PETRUS POIRET autumat, etiam ex hac doctrina sequi necessitatem fatalem; sed quam maxime falsus sit Vir D. & subtilissimus ex dictis satis liquet. Dicimus has ideas esse ipsius Dei perceptiones, quamvis ideata ab eo differant: dicimus Deum non determinari ab aliqua re extra se, sed a suis propriis perfectionibus; ita ut contra eas ex naturæ suæ necessitate nihil queat facere. Hæc est necessitas, sed non fatalis, qualis ex principio rationis sufficientis nullo modo sequitur; sed moralis, quam admireremur necesse est! quod scilicet ex perfectissima sua natura, perfectissimo modo, non tantum agat semper, sed & agere debeat.

CAPUT SECUNDUM.

De Natura Virtutis.

S E C T. I.

§. I.

Quum Virtutis Etymologia parum utilitatis habeat, & ad nostrum scopum non multum conducat, itemque ex Lexicis facile peti possit, necesse non fore huic immorari judicavimus. Majoris utilitatis erit, veras propositiones definire; quia in sequentibus de iis erit dicendi locus. Illæ vero sunt verae propositiones, quæ rei naturam & relationes, quæ in Morali rei natura insunt, exprimunt.

§ II. Virtus ergo nobis, secundum antecedentem doctrinam, est Entis rationalis studium se, suasque actiones ita componendi,

10 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ut nullo modo in veras propositiones impingat. Vel quod eodem reddit, est Entis rationalis studium omnibus cogitationibus, actionibus quo cognoscendi, & agnoscendi, res esse tales, quales per veras propositiones sunt expressae.

§. III. Ad hujus descriptionis explicationem faciunt sequentia. Primo subjectum virtutis esse *Ens rationale*, id est, *Creaturam intelligentem, & liberè volentem*. Nam illis solis virtutem attribuere solemus, qui valent sibi ideas formare non tantum eorum, quæ in sensu incurront, uti possunt bruta animalia, quibus tamen nunquam veri nominis virtus attribuitur; sed & eorum, quæ sensu superant v. g. generalium & nonnullarum actionum convenientiæ ad salutem publicam promovendam; itemque sui ipsius tranquillitatem conservandam, & Dei Entis summi cultum decenter exprimendum. Qui inter haec distingue nequit, ei non melius virtus attribuitur quam lapidibus aliis que rebus inanimatis.

§. IV. Sed & liberè debet ex interno principio agere, seque ad hoc potius, quam ad aliud ex unius præ altero cognita bonitate determinare, alias actiones ipsius, si agat, sunt vel a bruto quodam instinctu, vel a necessitate extrinseca, & agens est tantum merum instrumentum, cui actionis bonitas vel malitia nunquam attribuuntur, sed illi, qui hocce instrumento utitur. Certè ita nos convicti sumus hac de re, ut supervacaneum esset, nos gaudere libertate Spontaneitatis adstruere; nisi & essent Philosophi, qui videntur veram libertatis notionem planè distruere, fabricando talia Systemata unionis mentis cum corpore, in quibus Deus concipitur, vel omnia agere immediate omni momento secundum *occasionalium Systema*; vel creare mentem ex sua natura, ad absolvendum certum cognitionum Catalogum, determinatam: Corpus quoque ad certos motus, hisce tamen cognitionibus correspondentes, determinatum, & interhaec duo constituere harmoniam quandam *præstabilitam*, qualis intercedit inter duo horologia, exactè eandem horam semper indicantia.

§. V. Secundo, ex propositionis veræ definitione manifestum est, illam res cuiuscunque generis exprimere, ideoque haec res Objectum, circa quod actio virtuosa versatur, constituant.

tuunt. Interim quia res ferè sunt infinitæ, ad nostrum scopum sufficiet, has ad certas Classes referre.

§. VI. Quum omnium primo, de propria existentia unusquisque sit convictus ex conscientia eorum, quæ in se percipit, merito ab ipso homine exordium ducimus, ponendo cum tamquam objectum variarum actionum virtuosarum: nam si ad se benè attendat, deprehendet in se esse principium non solum cogitans, sed &c se mirum in modum suis cogitationibus oblectans, imo in has esse primum; deprehendetque hoc principium in omnibus suis facultatibus esse valde limitatum: ideoque a Cognitione & Receptitudine posse perfici. Attendingo ad se deprehender illud principium, quod mens vocatur, esse unitum cum corpore, a quo variis modis afficitur &c in operationibus turbatur. Denique hocce Corpus posse a variis rebus sustineri, & in statu suo conservari, sed ita, ut illæ res cum judicio & temperantia sint adhibendæ, si nihil noxii ab iis velit sentire.

§. VII. Sed ex attenta sui ipsius consideratione, statim ex effectu ratiocinando, ad primam causam deveniet (quia non datur causarum progressus in infinitum) & qua &c ipse, &c omnes res dependent, quæ est D. T. O. M. Spiritus independens & Potentissimus mundi Creator & Gubernator, ab hoc tamen distinctissimus. Ex hac Dei cognitione ob variam, quam nos ad eum, & ille ad nos relationem habet, oriuntur varia officia, quæ sub pietatis nomine comprehenduntur.

§. VIII. Ulterius ad se attendingo unusquisque deprehenderet, in sui corporis structura esse partes, quæ indicant, cum habere relationem ad aliam naturam V. C. si quis Mas sit, partium ipsius constructio indicat, eum ad fœminam habere relationem; illa iterum mutua Viri & Fœminæ constructio docet, eos posse Liberos procreare speciemque suam propagare, ex qua propagatione demum oriuntur varia Parentum erga Liberos, & Liberorum erga Parentes officia.

§. IX. Denique deprehendet in statu privato, se esse expositum variis incommodis & insultationibus a fortioribus, quæ eum quasi cogunt in societatem cum aliis, ad mutuam salutem obtinendam, ire, qui status iterum varia exigit officia. Commodè ergo statuitur objectum virtutis esse ipsum hominem, Deum, & alios, sive in statu Oeconomico sint, sive Politico, quod ad bru-

12 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ta animalia attinet, & ea posse ad virtutis objectum referri, quatenus a nobis vel boni quid, vel mali recipere possint, non est quod dubitem.

§. X. Norma denique virtutis sunt *propositiones veræ*, quod prolixè in antecedentibus adstruximus: interim illis litem moveare nolo, qui dicunt voluntatem Dei (non tamen eo sensu, quo Cartesius dixit) esse normam virtutis; quia & convenienter suis perfectionibus & æternis ideis semper agit Deus. Interim quando dicimus, has propositiones res exprimere uti sunt, intelligo uti sunt *objecta moralia*.

§. XI. Hæ vero propositiones debent etiam res exprimere uti sunt, i. e. non solummodo uno respectu, sed omnes relationes, quæ possunt vel verbis, vel factis negari, sunt exprimendæ. V. G. si quis equum ad equitandum furetur, agnoscit quidem equum aptum esse ad equitandum, & sic contra hanc veritatem non peccat; sed aliæ existunt veritates, quarum vi hic equus ad alium pertinet, ideoque contra has veritates equum furando peccabit. Interim forte necesse non erit equi colorem, structuram, & ætatem considerare; quia non negatur, furis actione equum habere talém colorem &c.

§. XII. Si quis vellit egeno auxiliari, æque debet suas, ac illas egeni circumstantias perpendere, videreque, num ipsius circumstantiae permittant, illum hunc egenum adjuvare; si non admittant, tunc non debet dare; quia non dando non negat, illum esse egenum, sed indicat, suas circumstantias hoc non admittere, immo dando peccaret; quia sic negaret suas circumstantias esse tales, quales sunt. Hoc est quod dixit SENECA, *utriusque simul consulendum est, dabo egeni; sed ut ipse non egam*: & PLAUTUS, ita aliorum te miserescat, ne tui alios misereat.

§. XIII. *Virtus ipsa tandem in conformitate cognitionum, vel inclinationum, & actionum cum veris propositionibus consitit: inclinationes æque ac actiones dico, cum veritate debere convenire;* quia illæ actiones ex interno amoris principio erga veritatem non profluente, potius ad machinarum operationes sunt referendæ, quam inter actiones virtuosas numerandæ; & hinc est, quod virtutem nunquam iis rebus propriæ finem ex amore veritatis.

tatis & boni publici, vel privati non agentibus, solemus attribuere, V. G. Si quis machinam sciret construere, quæ & ambulare & manus extendere posset, ad erogandam egeno elemosynam, &c. non dicimus illam actionem esse moraliter bonam, quia ex interno principio hoc/faciendi non agit haecce machina: Interim possimus artificiosam structuram istius machinæ admirari; hinc etiam est, quod non soleamus aliquem convulsionibus laborantem, qui quemque ad se accedentem verberet, malum moraliter nuncupari; quia nempe laedit sine laedendi intentione. Ab altera parte eum, qui quidem nihil male agit, quia non ei sunt occasionses hoc faciendi, sed interim laedendi animum habet, non dicimus moraliter bonum, quia non agit ex amore veritatis. Hinc bonitas actionis aestimanda est ex agentis intentione, qua de re pulchra scripserunt Cel. HUTCHENSON de Bono moral., (qui etiam determinavit quantitatem amoris in actione ad illam bonam efficiendam) & COMES SCHAFTSBURY de Virtute Part. II. Sect. 1.

§. XIV. *Actiones*, per quas verba, omnesque corporis motus intelligo, debent etiam hisce propositionibus esse conformes, quia alias, nec agens, nec alii possunt cum certitudine statuere, cum habere bona inclinationes, nisi sese in actionibus externis prodant. Denique, quia veritates æque possunt negari corporis motibus, ac verbis, & oppositis propositionibus, quia illi motus certe insinuant aliquem sensum in iis, qui holce vidit; hinc quisque intelligit lachrymarum sensum, capitis nutus &c. &c CICERO dixit, *actionem esse quasi corporis sermonem, & oculos, supercilias, frontem, vultumque denique totum, que sunt mentis sermonata- citus, loqui.* OVIDIUS dixit, *nutu signisque loqui, & lachry- mas pondera vocis habere.* Alicubi de Philosopho legere memini, qui alterius opinionem, nihil in orbe moveri, ambulando, & se metu movendo destruxit; ideo & verba & actiones corporis sunt adhibenda juxta communem sensum, quem fundant apud eos, quibus cum conversari debemus, ut sensum eorum unusquisque fine deceptionis metu intelligere queat.

§. XV. Si virtus consistat in convenientia cogitationum, actionumque cum veris propositionibus patet, illas actiones non adhibere, quando adhibendæ sunt, esse peccatum; quia res ne-

gantur esse tales, quales sunt, hac omissione. Si enim actio aliqua bona sit, utique ejus omissio erit mala, V. G. si quis jurejurando promiserit aliquid facere, interim suam fidem non præstat, agit utique acsi nulla talis promissio jurejurando confirmata extaret in rerum natura, & illa omissio vitiosa utique est. Eodem modo, si quis Deum nunquam coleret, praxis sua negaret, ens tale, a quo habet omnia, existere &c: sed interim liquet omnes omissiones, & omnia peccata non esse æquè gravia; quia res per veras propositiones expressæ vel majoris vel minoris valoris sunt, & aliquando una omissione vel actione peccare contra plures veritates. V. G. si quis A librum pretii unius floreni sit a B furatus, certè peccat; quia actionie sua non agnoscit librum esse ipsius B. Interim si A spoliaret B summa 40000 Flor. tunc gravius peccaret; quia contra plures veritates peccat, non tantum contra ipsum B & comoda, que ex hac pecunia habere potuerit, sed contra familiam istius B. & in re ipsa est, ac si 40000 vicibus unius flor. furtum repetiisset.

§. XVI. Tandem studium quam maximè diligens est hic adhibendum, ut veritates agnoscamus, & inclinationes convenienter iis componamus; & vigilandum est, ne fortè affectus pravi subrepant nosque a virtutis exercitio abalienent: ideoque juxta Epicetum, Deus precandus est, ille enim sic; *certamen quidem magnum est, opusque planè Divinum, Dei igitur memineris, eumque invoca opitulatorem;* & quotidianum lui ipsius examen, quod & suis commendavit PYTHAGORAS in auris carminibus, instituendum est.

*Mollia nec prius admittant tibi lumina somnum,
Exæte quam ter reputaveris acta dici
Quæ prætergressus? quæ gessi? Quæ malè omisi?
Singula percurrens, a primo facta, quibus tu
Vel pravis doleas, capias vel gaudia justis;
Hæc facito, hæc satage, istorum tibi cura geratur,
Hæc te Virtutis Divine ad limina sisent.*

Hocce studium debet esse constans; quia impetus tantum aliquis

quis rectum faciendi, qui mox iterum cessat, virtutis nomen
nequitquam promeretur; & quia affectus quotidie non bene mode-
rati, radices suas altè insinuant, ut vix, ac ne vix quidem quis
eos iterum eradicare queat. Ut verbo dicam, debemus quan-
tum in nobis, omnia ad virtutis exercitium habere prompta;
ita ut summa cum voluptate & alacritate omnia officia possimus
præstare.

S E C R. II.

§. I. Hanc præclararum & uberrimam virtutis theoriam, quam
ante paucos annos Cel. CLARKIUS, & nuperrimè etiam
Acutissimus WOOLASTONIUS orbi examinandam propo-
suerunt, Eruditorum examini iterum submittere, mihi quoque
placuit; 1º. quia nulla actio veris propositionibus vel rerum naturis
disconveniens, queat esse bona; quia bonum & verum inter se con-
vertuntur: si enim illa propositio, quæ falsa est, sit injusta, & ma-
la, utique actio hanc propositionem exprimens, & in ea fundata,
non potest esse bona; quia est ipsa falsitas in praxi. Vere propo-
sitiones certè rei naturam & relationes, quæ in morali istius rei
natura fixæ sunt, exprimunt; ideoque nihil a vera propositione
queat dissentire, quin statim ab ipsius rei natura dissentiat, & in
sua natura malum & perversum sit. Denique res non possunt ne-
gari esse, quod sunt; quin & statim negentur aeterna axiomata,
quæ menti Divinæ naturaliter in sunt, quo nihil utique absurdius:
tandem esset summa amentia, res non agnoscere esse tales,
quales sunt, hoc enim esset amarum pro dulci, curvum pro re-
cto ponere &c. & hoc, nihil in rerum natura stultius esse judico.

§. II. Sed & hanc theoriam proposui 2º, quia præter hasce
propositiones veras, nihil accurate ab aliis dictum vidi. Nam
illi, honesta solummodo pro bonis habentes, dicunt quidem
bene, *Virtutem esse honesta studere, & sequi*; sed præterquam
quod bona corporis negent esse bona, non tradunt regulam,
juxta quam honesta ab inhonestis queant discerni; & Quæstio,
quænam haecce honesta sint? manet adhuc indeterminata, nisi
dicant nobiscum, honesta esse, quæ cum veritate convenientiunt.

§. III.

16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

§. III. Fuerunt olim , & hodie etiamnum non desunt , qui dixerunt , *naturae convenienter oportere vivere* ; si quidem per hoc intelligent , sese componere ad naturam rerum , propositionibus veris expressam , a nobis non dissentirent ; sed videntur hoc non intelligere , & quum in tam gravi materia , hominem tam ecce duci committunt , merito a nobis hac in parte deseruntur.

§. IV. ARISTOTELIS , multorum errorum genetricem , definitionem ex scholis in exilium abire jussierunt dudum Acutissimi Philosophi , HENRICUS MORUS in *Enchir. Lib. I. Cap. 3 pag. 35.* & ARNOLDUS GEULINGIUS *Ethic. Tract. I. cap. 3. p. 35.*

Alii dicunt , rectam rationem amare esse virtutem , & actiones eatenus esse bonas , quatenus ex hoc rationis amore profluunt. Sic modo laudatus GEULINGIUS virtutem definivit , *per amorem rectae rationis*. Omnium quidem optime nostra cum theoria consentit Vir Doctissimus , & illi , qui cum hac in parte secuti sunt , si per rationem rectam intelligent omnes illas veritates , quas invenire possumus ope facultatum nostrarum ; interim modus , quo se exprimunt , non videtur esse satis explicitus : & sic relinquitur semper locus aliis rationibus rectis , ut ad conclusionem perveniri difficulter queat ; quia unusquisque putat , se a sua parte habere rationem rectam ; præterquam quod theoria nostra sese ulteriorius extendat , nempe ad illa , de quibus certè sumus ope sensuum nostrorum : & denique ratio recta , quatenus est generale quoddam instrumentum , constat utique ex singularibus propositionibus.

§. V. Qui præter *Voluptatem* aliud bonum nesciunt , nullumve malum præter *dolorem* agnoscunt , resque ob earum ad hoc vel illud tendentiam , distinguunt in bonas & malas , inter se non conveniunt , quid voluptas sit , & quo modo acquiri debeat : unde CICERO dixit , *velim definias quid sit voluptas , de qua omnis haec quæstio est*. Certè si non addantur validæ Limitationes , homines non possunt non ex hac doctrina prolabi in omnia sclera & vitia , quæ apta sint nata ad aliquam voluptatem excitandam , præter quam quod eadem res omnibus.

bus, ob eorum ingenium, temperamentum, doctrinam &c. non potest voluptatem excitare; & certe non omnes voluptates sunt consequandæ; sed illæ solummodo, quæ veræ sunt.

§. VI. PLATO quidem bona dedit verba, quum constitueret virtutem *in similitudine cum Deo*; sed cum media hanc acquirendi non suppeditat, doctrina ejus nobis non conciliabit magnam utilitatem, nisi per hanc similitudinem intelligamus veritatis praxin, secundum quam & ipse Deus, vi & necessitate perfectionum suarum, semper tenetur agere.

§. VII. Denique 3º. Si licet singulas virtutis species percurrere, facillimum esset, ubertatem nostræ Theoriæ de Virtute ostendere; speciminis loco sit tibi hoc sequens. Nos Deum debere colere, extra dubium nunc pono; sed quid aliud est Deum colere? quam agnoscere, eum esse independentem, infinitum, incomprehensibilem, simplicem, immutabilem, æternum spiritum, omnium causam & creantem, & gubernantem ad fines sibi gloriohos; & nos esse tales, quales sumus, per omnia, ab ipso quoad esse, bene esse, & porro esse dependentes; ideoque debere ad eum semper accedere, beneficiaque ab ipso accepta, grato animo agnoscere, tanquam signa ipsius beneficentiae erga nos; & ab eo petere, ut velit nos liberare a pessimis peccatorum nostrorum sequelis, & vires concedere sufficientes ad persistendum in exercitio virtutis, contra omnia obstacula; imo & concedere nobis ideas rerum distinctas, cum ea mundanarum rerum copia, & corporis sanitatem, quæ nobis est necessaria ad officia omnia erga Deum, nos metipso, & proximum præstanda, cum summo gaudio, & mentis tranquillitate. Faxit Deus, ut sic vivamus!

F I N I S.

A N N E X A.

I.

Deum existere contra Atheos affirmo.

II.

*Deus omnipræsens est, non tantum ratione operationum,
sed & ratione essentiæ.*

III.

Ideæ rerum possibilium Intellectui Divino sunt naturales.

IV.

*Deus semper operatur secundum suas æternas ideas & vo-
luntas Divina contra has quid discernere nequit.*

V.

Contradictoria simul vera facere, Deo est impossibile.

VI.

*Cartesii argumentum, pro existentia Dei, ex idea a priori,
petitum, non apodictice contra Atheos demonstrat,
Q. D. E.*

VII.

Rerum essentiæ sunt nobis incognitæ.

VIII.

*Mentis essentia, nec in sola cogitatione, nec in vi sibi uni-
versum repræsentandi, pro situ suo in hoc, consistit.*

IX.

*Materiæ posse facultatem cogitandi communicari, videtur
esse contradictionem.*

X.

*De idearum origine omnia, quæ a Philosophis dicuntur,
sunt incerta, & præstat hic suam ignorantiam fateri,
quam sine fundamento aliquid affirmare.*

XI.

A N N E X A

X I.

Ideæ simplices, ad quas sunt referendæ sensationes nostræ, omnium sunt clarissimæ.

X II.

Probabile est, mentem nostram corpus regere, & corpus adficere mentem medianibus spiritibus animalibus, modus interim nobis est plane incognitus.

X III.

Peccatum qua peccatum est non ens.

X IV.

Peccatum Deus non permittit nisi ob majus bonum.

X V.

In Physica, ubi Phænomena Naturalia, per causas sunt explicanda, nullæ causæ sunt admittendæ, quam quæ veræ sunt & ad Phænomena explicanda sufficiunt.

X VI.

Corporis essentia consistit in extensione impenetrabili.

X VII.

Corpus est divisibile in infinitum.

X VIII.

Motus, non tantum est situs mutatio, sed corporis translatio ex una spatiæ parte in aliam.

X IX.

Locus non est ipsum corpus.

X X.

NEWTONI de Coloribus Systema experimentis omnino congrua est.

X XI.

Cometæ neque sunt caussæ, neque signa futurarum calamitatum.

XXII.

A N N E X A.

X X I I.

Fontes partim ex Mari, partim ex pluvii oriuntur.

X X I I I.

Gravitas est lex Naturæ.

X X I V.

Dubitatio Universalis est inutilis & noxia.

X X V.

Cogito ergo Sum, non est principium primum ratione conclusionis.



NO-

*NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
VIRO JUVENI,*

ALEXANDRO COMRIE ,

Cum summis in Philosophia honoribus potiretur.

Sic , quibus ingenuum thesauris pectus abundat ,
Difflit os , doctæque docent , COMMERCIE chartæ ,
Quæs tua sinceræ depingit dextera dotes ,
Virtutis , tutamque *basin* , qua firma quiescit .
Scilicet hoc præcone , sibi placet inclyta *Virtus* ,
Qui simul exercet rigidus , quæ dogmata tradit .
Perge ! tui merita lætus mercede laboris ,
Quo te pulchra vocat *Virtus* : bona quæque sequentur .

*In sincere amicitiae
Symbolum cecinit.*

JOHANNES HUYSINGA ,
J. U. D. & SS. Theol. Studiosus.